

QK 351, 13<sup>a</sup>

X 231 6439

Hf  
595

Q. D. B. V. Lieb. in. volumen. illino.  
**LEIBNITIANAE**  
DE HARMONIA CORPORIS ET ANIMAE PRAESTABILITA  
HYPOTHESEOS  
FATA RECENSET  
SIMVLQVE  
SVMME REVERENDVM PRAESVLEM  
RELIQVOSQVE SCHOLAE NOSTRAE PATRONOS  
FAVTORES ATQVE AMICOS  
AD HONOREM ANNVM

**B. IO. CHRISTOPHORI RICHTERI**

MANIBVS  
BREVIO ORATIONE  
DE BELLI CALAMITATIBVS ET PACIS COMMODIS  
A IO. PAVLO RICHTERO FREIB  
DISCIPVLO PROBO  
D. VI. KAL. IULIAS A. R. S. c*150*cc*LX*  
CELEBRANDVM  
QVA DECET AC PAR EST REVERENTIA  
INVITAT  
M. IO. ANDR. LVTHERVS  
CONR

---

FREIBERGAE,  
Litteris IO. CHRISTOPH. MATTHAEL.



**P**romissi memor, et de Harmonia animae et corporis humani prae-  
stabilita expositurus, me operae preium facturum esse, puto, si in  
antecessum moneam, sermonem hic nobis non esse de vniuersali  
rerum creatarum omnium inter se harmonia ac consenstione, qua  
Deus, praepotens huius vniuersi auctor et moderator sapientissi-  
mus, coordinatione seu concatenatione quadam, omnia in hoc mun-  
do ita instituit, ut nexu quodam sapiente se respiciant, certisque rationibus  
ac legibus, diuino eius arbitrio positis, vel simili sint ac cohaereant, vel  
se se mutuo insequantur. Quae stabilita rerum omnium consensio, sive sa-  
piens caussarum effectuumque harmonia, quam nonnulli fatum theologicum,  
vel etiam physicum, vocant, quemadmodum diuinae prouidentiae funda-  
mento nititur, atque a fatali Stoicorum necessitate longissime abest: ita  
eadem, et theologi ὁράτοι ac laude nostra maiores, et philosophi  
accuratiores, calculo suo approbare non verentur. Ex Reformatis comme-  
morandi sunt magni nominis theologi, Campiegii VITRINGA et Nic.  
GVRTLERVS, quorum verba adducit Frid. HOFFMANNVS, in *Disquisit.*  
*de fato physico et medico, eiusque rationali explicatione* §. XI. p. 17. quibus  
addi potest Lud. CROCIVS, L. III. *Syntagma Theol.* p. 858. Ex nostris  
summe venerabilis Dresdensum Praeful, D. Io. Joach. Gottlob AM-ENDE,  
in eruditissimo suo ad *Popii Hominem Commentario* p. 27. eam in rem alle-  
gat solidae eruditionis philosophum, et exacti iudicii theologum, Balth.  
MEISNERVM, qui, L. III. *de Legibus, Quæst.* XIII. p. 242. *Salus vniuersi,*  
inquit, *conficit in rerum ordinatione et concatenatione. Iam si vacuum fieret,*  
*rumperetur illa catena et coordinatio, adeoque pessum iret mundus.* Ipse autem grauiter ac sapienter adiicit: *in regno gratiae veritates saluti-  
feras, ob sapientissimum earum sui nexus, merito unam copulatiuam et unam*  
*catenam dicitur, cur in regno naturae voculam catenae ac nexus tantopere  
horreamus?* Sequitur in eo vestigia B. antecessoris sui V. E. LOESCHERI,  
theologi, dum viueret, longe grauissimi, et de ecclesia puriori immortaliter  
meriti, qui, sub nomine CHARITEI, hanc Leibnitianam, de Harmonia  
rerum in hoc vniuerso præstabilita, sententiam perquam elegantem hy-  
pothesin, et sapientia conditoris omnino dignam, appellat in *Relatt. innocent.*  
A. 1710. p. 411. Quae verba non ad harmoniam inter animam et corpus  
præstabilitam, inuito auctore, trahenda, sed de harmonia latiori inter causas  
et effectus intelligenda esse, ex verbis statim sequentibus manifesto patet.  
De hac igitur vniuersali rerum harmonia nobis in praesenti sermo non est,  
sed

sed solliciti tantum sumus de harmonia inter animam et corpus praestabilita, per quam illa animi corporisque consensio intelligitur, qua actiones corporis decretis animi, et perceptiones mentis impulsionibus sensuum, sine mutuo influxu, consentaneae deprehenduntur. Quod ideo monendum esse ducimus, quia nonnulli, qui philosophiam recentiorem per transennam modo inspexerunt, audita voce praestabilitionis, statim aut fatalem rerum necessitatem, aut saltem eam, de qua nos loquimur, harmoniam, intelligendam esse, arbitrantur.

Primus sententiae huius auctor est summus polyhistor, et aeternum Germaniae nostrae decus, illustris G. G. LEIBNITIUS, quem diuino munere orbi datum esse, ut res abditas, et a cognitione hominum remotas, in apricum produceret, iudicant eruditissimi *Aet. Erudit.* collectores A. 1711. p. 111. Hic enim, cum, *Systema influxus physici* non minus, quam *Systema caussarum occasionalium*, multis magnisque laborare difficultatibus, intelligeret, id sibi negotii datum esse credidit, ut, pro ingenii sui abundantia et foecunditate, nouum excogitaret, quod *Systematis harmoniae praestabilitae* nomine celebratur. *Harmoniae* venit nomine, propter exactam idearum animae et motuum actuumque corporis conuenientiam: quae harmonia cum sit certa, immutabilis ac necessaria, *stabilitas*; et quia haec stabilitio ipsos harmoniae actus, per sapientem quandam Numinis praeordinationem et dispositionem, antecedit, *praestabilita* vocatur.

Has meditationes suas, de ingenuo hoc inuento, cum ultra decem fere annos pressisset LEIBNITIUS, et interim cum quibusdam eruditis per litteras communicasset, demum in Diario eruditorum gallico (*Journal des Savans*,) A. 1695. mense Junio et Iulio, proposuit, atque deinceps in *Theodicea sua* (*Essais de Theodicée sur la Bonté de Dieu, la liberté de l'homme, et l'origine du mal, Amst. 1710. 8.*) latius explicauit. Vix autem in lucem prodierant, cum virti in Gallia, Anglia, Belgio atque Germania eruditissimi, auctoris ingenium admirati, eas vel in dubium vocarent, vel cupide amplectenterentur. LEIBNITIVM non seria hic mente egisse, sed, vti integrum suum *Theodiceae*, ita etiam *harmoniae praestabilitae*, *systema*, per quendam ingenii lusum, confixisse, memorat cel. Chr. Matth. PFAFFIUS in *Diff. de morte naturali*, §. 5. p. 17. et ex eo A. E. utriusque linguae, tandemque Joach. LANGIUS, in modesta *Disquisitione noui philosophiae systematis de Deo, mundo et homine* scimel iterumque p. 29. et 152. et aliis in locis. Tradit, LEIBNITIVM ipsum, in litteris d. II. Mai 1716. ad se datis, hoc fassum

AK TH 595

fassum esse: de quarum litterarum γνησιόντων; quid habendum sit, docet cel. Carol. Gunth. LUDOVICI, in hist. philosophiae Leibnitianae P. I. §. 485. p. 477, FONTENELLIVS autem, academiae regiae scientiarum secretarius, sistema hoc harmoniae praestabilitae inuentum, philosophis prorsus inexpectatum, infinitae sapientiae creatoris ideoam prorsus admirandam exhibere, ingenue fatetur. Vid. Christ. WOLFII *Commentatio luculenta de Differentia nexus rerum sapientis, et fatalis necessitatis.* Sect. II. §. XVIII. p. 58. Petr. BAELIVS, vtut eidem non assentiatur, illud tamen inuentum maximi momenti (*une conquête d'importance*) alii foetum ingenii foecundissimi, vocant, vt aliorum elogia silentio praetermittam.

Haec itaque est hypothesis illa, quae, velut pomum Eridos, et patrum, et nostra, memoria, tot tantasque mouit controversias, quot quantasque vix villa, vel olim, vel nostra aetate, excitavit. Opposuerunt se eidem FOVCHE-RIVS, Canonicus tum Diuinioneeris, Petr. BAELIVS, Franc. LAMYVS, Ant. ARNALDVS, Ren. Ioseph. TOVRNEMINVS, Isaacus NEWTONVS, Sam. CLARKIVS, G. E. STAHLIVS, El. CAMERARIVS, quorum dubiis partim ipse LEIBNITIVS partim cel. Georg. Bernh. BILFINGERVS in *Commentatione hypothetica de Harmonia animi et corporis humani maxima praestabilita*, ita satisfecit, vt vix quicquam desiderari possit. Quae recentiori aetate hypothesis haec habuerit fata, nemini, nisi in historia litteraria plane hospiti, obscurum esse potest. Postquam enim Christ. WOLFIVS, acutissimus aetatis nostrae philosophus, vti alias LEIBNITII sententias, ita hanc quoque hypothesis, systemati suo philosophico inseruerat, incredibile est dictu, quanta animi acerbitate Ioach. LANGIVS, theologus halensis, in eandem inueheretur. Varia hic edidit scripta, quorum indicem daremus, si chartae angustia pateretur. Placuit eidem hanc suppeditare definitionem: *Harmonia de commercio inter animam et corpus praestabilita, est chimera, quae a pseudophilosophia stoica et cartesian, nec non a spinoziana, est formata, ab illustri autem Leibnitio adoptata, et per lumen ingenii pigmentis pseudometaphyscis exornata; chimera biforis, cuius centrum et peripheria omnis, sublata omni veri nominis libertate, est in fato physico, et quae absurditate sua semet ipsam destruit.* Defenderunt autem hoc iste-ma praeter LEIBNITIVM et WOLFIVM, Ge. Bernh. BILFINGERVS, Lud. Phil. THVMMIGIVS, Mich. Gottl. HANSCHIVS, Io. Gust. REIN-BECKIVS, Sam. Christ. HOLLMANNVS, Io. Frid. SCHREIBERVVS,

Frid. Christ. BAVMEISTERVS, Ge. Frid. MEIERVS

alique.

B.I.G.

Black

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32
Blue								
Cyan								
Green								
Yellow								
Red								
Magenta								
White								
3/Color								
Black								

FarbKarte #13

QK 351, 13\*

X 231 6439

II f  
595

LEIBNITIANAE  
DE HARMONIA CORPORIS ET ANIMAE PRAESTABILITA  
HYPOTHESEOS  
FATA RECENSET  
SIMVLQVE  
SVMME REVERENDVM PRAESVLEM  
RELIQVOSQVE SCHOLAE NOSTRAE PATRONOS  
FAVTORES ATQVE AMICOS  
AD HONOREM ANNVM

B. IO. CHRISTOPHORI RICHTERI

MANIBVS

BREVI ORATIONE

DE BELLI CALAMITATIBVS ET PACIS COMMODIS

A IO. PAVLO RICHTERO FREIB  
DISCIPVLO PROBO

D. VI. KAL. IVLIAS A. R. S. CIO 1551

CELEBRANDVM

QVA DECET AC PAR EST REVERENTIA  
INVITAT

M. IO. ANDR. LVTHERVS  
CONR

FREIBERGAE,

Litteris IO. CHRISTOPH. MATTHAEL

